

16
1.
169
1. 0
2.
169
1.
2.
16
1.
2.
16
1.
16
1.
2



12666.

QUOD FELIX FAUSTUMQUE ESSE JUBEAT
DEUS TER OPT. MAX.

Ex Decreto & Autoritate,
Magnifici, Nobilissimi, & Amplissimi Cto-
rum Ordinis, in celeberrima Inclytæ
Reip. Norimbergensis Univer-
sitate Altdorfina,

POSITIONES INAUGURALES

De
**BANCCÆRUPTO-
RIBUS**

PRO LICENTIA

Summos in utroq; Jure honores, immunita-
tes, & privilegia DOCTORALIA, ritè &
solenniter consequendi

publica & solenni Disquisitioni
submitto;

WILHELMUS FINCKLER,
NORIMBERGENSIS.

Mense Januario. A. 1654.

ALTDORFI

Typis excudebat GEORG Hagen/ Typogra-
phus Universitatis.

23.

24

1654

22

25

INCLYTÆ ET FLORENTIS.
SIMÆ IMPERII REIPUBLICÆ

HAMBURGENSIS

DNN. CONSULIBUS GRAVISSIMIS.

DNN. SYNDICIS CLARISSIMIS.

DNN. SENATORIB. SPECTATISSIMIS.

DNN. SECRETARIIS DEXTERIMIS.

VIRIS

MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS
ET CONSULTISSIMIS, DOMINIS PATRO-
NIS ET PROMOTORIBUS MAGNIS

Submissa positionum harum
oblatione,

se commendat,

Wilhelmus Finckler



PRÆSTANTISSIMO ET
ERUDITISSIMO DO-
MINO

GVILIELMO FINCKLERO,
JURIUM CANDIDATO AMICO
SVO DILECTISSIMO.

R Aptores, fures, decoctoresq; bonorum
Deceptores, aggressores; hoc genus omne
Infame & turpe est: amen haud Fincklere ve-
(reris

in specimen doctrinae, de nebulonibus istis
differere, integra queis patrimonia deglutire
Publica cum privis, labor est absumere solus.
His assignarat quondam lex Roscia certam
sedem in spectâclis: Hadrianus fustibus illos,
sed Constantinus plumbatarum ictibus omnes
subjecit, decoxissent proprio vitiôve
fortuna, de his inquam differis? an alia ulla

non

non tibi materies succurrit in equore nostri
juris tam vasto? forsan memorabile factum
haeret adhuc animo fixum quo nequam homo
(Patrem
turpiter emunxit: vel quod ferè rumpere bancā
quotidianum & perfidiam florere dolumq;
Plenius ergo quotidiana attingere visum?
Rectius haud posses te inimicum hostemq; ma-
(lorum
& contra defensorem jactare bonorum
quam facis istis in tam doctis Thesibus; ardor
hic nunquam cesset, sed semper bella minetur
huic hominum pesti, semper victricibus armis.
sic te dignus honos sic fama aeterna manebit.

Nicolaus Rittershusius. f.



FAVE BONE JESV!

POSITIO I.



Banccæruptores Galli vocāt *Banqueroutiers*, qui font *Banqueroute*; qui rompent la *Banque*, i. e. qui rumpunt *Banccam*. Nos *Banckerottierer* / quasi *Bancho* sive *Banccæruptirer* dicimus, die *Schulden haben außreissen*, *Besold. Thes. Pract. in vocab. Banckerottierer.*

I I.

Porerit autem *Banchum* sive *Bancca*, quam & *Mensam numulariam*, *argentariam*, *collybisticam*, *Wechselbank* dicunt, describi: Quod sit locus, in quem, veluti *custodiam publicam*, *Mercatores pecuniam*, quam habent *paratam*, plerumq; *deponunt*, non solum *pro commodiori tesserarum collybisticarum usu*, verum etiam, ut *omne genus numorum & monetarum*, legitimo & *æquabili pretio ibidem haberi*, eorumq; *permutatio*, *pro commerciorum necessitate*, facile fieri possit, certis huic negotio *Commissariis*, vel si aliter eos nominare amas, *præfectis*, *Maximil. Faust. Consil. pro Ærar. class. 13. cons. 39. ordin. 948. ex Pontan. in Histor. Amstelod.*

I I I.

In Jure nostro dicuntur *foro cedentes*, *l. si hominē.*

A

7. §. 2.

7. §. 2. ff. depos. infelices debitores, Nov. 4. c. 3. decoctores, l. jure provisum. 5. C. de fabricens. & l. hi quos 2. C. de fund. rei privat. conturbatores, l. quidam fundum, 16. ff. de in rem vers. Itali, fallitos vocant. Nic. Boër, decis. 215. bancafallitos, Dan. Sauter, in prafat. prax. Bancorott. cessantes, Asinius de execut. 84. c. 26. quebrador, Hispanis dicitur decoctor. Sesse decis. 102. n. 7.

IV.

Definiri, vel potius describi possunt, cum Beneventi, Strach. tr. de decoct. part. 2. n. 1: Quod Bancaruptores vel Decoctores sint, qui fortunæ vitio, vel suo, vel partim fortunæ, partim suo vitio, non solvendo facti, foro cesserunt.

V.

Misâ bimbri illa Divisione, quam ex Cicerone, in Orat. Philipp. 2. M. Antonium increpante, (Tenesne memoriapratextatum te decoxisset? Patris inquires ista culpa est. Concedo; etenim est pietatis plena defensio. Illud tamen audacia tua, quod sedisti in quatuordecim Ordinibus, cum esset. L. Roscia decoctoribus certus locus constitutus, quamvis quis fortuna vitio, non suo, decoxisset) desumpsisse videtur Sauter. in pract. Bancorott. part. 1. cap. 3. trimembris magis arri-det, cum Stracch. d. tr. part. 2. n. 2. & Just. Mejer. in Colleg. Argentorat. lib. 42. tit. 1. thes. 102.

VI.

Primum genus, illorum est, qui non suo, sed novercantis fortunæ vitio resolvuntur, iis videlicet casibus, quos vel humana prudentia prævidere, vel si
maximè

maximè præviderit, præcavere tamen, vel iis resistere
nequit. *l. 23. ff. de R. J. l. 2. § 7. ff. de admin. rer. ad civit. per-
tin. l. 1. §. 4. ff. de O. & A. l. 18. in pr. ff. commod.* ut puta:
quorum bona tempestas maritima submersit; quibus
à latronibus vel maritimis, vel terrestribus, vel alia vi
majori, opes ereptæ sunt; *l. cum proponas. 30. C. de naut. fœn.
l. in rebus. 18. ff. commod.* Sesse decis. 102. n. 7. quorum de-
bitores non solvendo facti; Id quod olim Romanis ali-
quibus contigit, teste Cicerone pro L. Manilia: *Tum cum
in Asia res magnas permulti amiserunt, scimus Romæ solutione
impeditâ, fidem concidisse. Non enim possunt una in civitate
multi rem atq; fortunas amittere, ut non plures secum in ean-
dem calamitatem trahant.*

V I I.

Hi cum fraudandi animum non habeant, non tam
pœna, quod inhumanum foret, *l. qui commeat. 14. ff.
de re milit. arg. l. D. Marc. & Comuod. 14. ff. de officio Præ-
sid.* Joseph. de Sesse Regn. Arragon. decis. 102. n. 7. quam
commiseratione, Reformation guter Polteey zu Aulspurg
de Anno 1548. tit. von verdorbenen Kauffleuten §. 1. & be-
neficiis; cessionis videl bonorum *l. 8. C. qui bon. ced. poss.
non carcerandi Benediçt. Carpzov. Jurispr. Roman-Saxon.
part. 2. Constit. 22. Defin. 5. per tot. immunitatis Ecclesiæ
Azeved. lib. 13. tit. 2. lit. 1. Georg. Rittershus. tr. de jur.
Asylor. cap. 6. n. 24. Quinquennialium d. N. G. P. zu
Augsp. Wilhelm. Antonii de Freundenberg. tr. de Rescript. mo-
rat tit. 7. digni censendi sunt.*

V I I I.

Et licet olim apud Romanos L. Roscia theatriali
Equitibus Romanis, quatuordecim gradus spectandi

A 2

causa

causa in Theatro assignati fuerint, exclusis iis, qui, quavis fortunæ vitio, decoxissent, quibus certus locus, non equidem ignominiosus, ut probat *Sauter in d. prax. Bancorott. part. 1. c. 4.* nec ita tamen honoratus, ut colligerelicet ex *loc. Cic. in Orat. Philipp. 2. supra Posit. 5. alleg.* constitutus erat, & ab aliis quoq; vile hoc hominum genus semper sit habitum, eo quod infelix paupertas homines iridiculos faciat, exemplo Licinii Crassi; Cui pecuniæ magnitudo locupletis nomen dedit, sed postea superveniens inopia turpem decoctoris suggillationem injunxit, ut cum egens ambularet, dives ab occurrentibus salutaretur. *Valer. Max. lib. 6. cap. 9.* hodie tamen infames nullo jure sunt. *l. 11. C. ex quib. caus. infam. irrog.* Poltey Ordnung zu Erfurth. de Anno 1577. tit. 23. §. so setzen ordnen er. 2. in verb. und nicht aus kändtchem zugestandenem Unfall er. & d. §. 1. R. aut. Pol. zu Augsp. Reform. Noric. tit. 12. l. 6. §. 2. Revidirte fall in Ordnung der löblichen Stadt Hamburg de Anno 1647. d. 1. Octobris. Art. 7. in verb. Soll ihm das Unglück hinfaro an seinen Ehren ohnvorweisslich seyn er.

I X.

Quamvis ab omni omnimodò, & sic facti infamia immunes non sint. *Nov. 4. c. 3. Nov. 135. Nob. Ampl. & Consult. Dn. D Ludwell. Antecess. in alma hac Altdorffina celeberrimus, Præceptor & Promotor æviternum venerandus, in Not ad paratitl. Wesenb. ad tit. de his qui not. infam. n. 5. lit. K. Marquard. Freher. tr. de existimat. lib. 3. de infam. c. 20. n. 16. Matth. Stephan. ad d. Nov. 135. n. 15.*

X.

Secundum genus illorum est, qui nulla fortunæ

tunæ

tūnæ calamitate pressi, solo suo vitio decoquunt; pessimum hominum genus, & nulla commiseratione dignum, qui Attica fide ab aliis accipiunt pecuniam, Creteni solvunt, æquè fidem & honestatem curantes, ac Poloni quantitatem Syllabarum. *Sahrenhorst Disc. Polit. de Bancrott.*

X I.

Nequissima hæc hominum turba, alibi dicuntur fraudatores l. 8. ff. de pos. calumniatores l. 233. ff. de V. S. deceptores, l. 29. C. de pact. impii Psalm. 37. v. 21. ganeones, salacones, profligatores, *Anton Hering. tr. de fidejuss. c. 5. n. 104.* infames l. 1 ff. qui not. infam. infamissimi, *Bald. cons. 176. n. 6* comparantur furibus *Poltzen Ordnung zu Erfuch de Anno 1577. tit. 23. §. 1. verb. express.* die si einem Diebstahl wol vergleichen er quæ verba repetuntur in der *Revidirten Hamb. falliten Ordnung d. Art. 7 Reformat. Noric. tit. 12. l. 9. §. 2.* Magistratus arbitrio relinquit, qui pro talibus habendi & puniendi sint. De quibus *Mandatum der vereinigten teutschen Hanse Städte/ wies der die muthwilligen falliten und Bancrottiteres Lubeca typis expressum & Anno 1620. die ultimo Aprilis promulgatum Art. 4. ita habet.:* Auf solchen Fall/ soll nach vorhergehender *Declaration* nicht allein die Schandglock über ihn geleitet/ sondern er auch mit öffentlicher auffstellung auf den Pranger/ ewiger verweissung / auch nach vermerckten umbständen/ als ein dieb und falsarius an Leib und Leben gestrafft werden er.

X I I.

Vitio autem suo decoquunt: qui nemini quicquã denegando, de alieno liberales, neq; modum expensarum faciunt, neq; mensuram, bona sua dissipant, dilace-

lacerant, & nequiter profundunt *l. omnes. 17. §. Lucius. ff. quæ in fraud. creditor* qui patrimonium comedunt, fortunasq; abliguriunt, (nam juxta Germanorum verbum *Panfettren machet Bancroettren*) & ingluvie miseri, consilium cum re amittunt; Aleatores strenui, qui die noctuq; ludendo proprias substantias perdunt, *l. 3. C. de aleat.* quorum tesseras, pillulis Medicorum non ineptè comparaveris, quæ exigua quamvis dosi & quantitate sumtæ, amplam crumenam evacuant; *Besold. in den 700 sinnreichen Reden cent. 1. n. 81.* qui meretricum delinimentis & venenis corrupti, (quibus animi pravorum inficiuntur,) ad inopiam rediguntur; *l. 1. C. de nat. lib. Bald. in l. 1. C. qui bon. ced. poss.* nec minus ii, qui sumtuosa, & sua tenuitate majora, ædificia struunt, aut grandiozem familiam alunt, quam rerum suarum modulus fert, quive amictu molli & ultra, utentis conditionem sumtuoso, superbiunt; item, qui assidue pecunias subusuris accipiendo, easq; diu retinendo, aut versuram faciendo, de solutione, vel nihil, vel parum solliciti sunt. Et quis quæso omnes enumerabit modos, quibus homines hi egregii, bona sua, dedita quasi opera & in fraudem creditorum lancinantes, proterviam faciunt. Videri tamen aliquam, multi poterint apud *Faust. pro Ærar. class. 16. cons. 167. ord. 1272. Stracch. tr. de dicoct. p. 2. n. 1. Sauter in prax. Bancorott. part. 1. cap. 9.*

X I I I

Quam egregiè homines hi nequissimi alios opibus suis emungere, quam variis & versipellis regumētis dolos celare, quibus artibus inopiam occultare, simulatasq; divitias ostentare queant, sigillatim recensere,

fere, propositum non est, videre tamen de his licet *Arū*,
Disc. Academ. de jur. publ. vol. 3. disc. 4. concl. 5. Sant. prax.
Bancorott. part. 1. c. 7.

XIV.

Tertium genus, illorum est, qui partim suo,
partim fortunæ vicio decoquunt; quos admista culpa
humiles, deploratos, & commiseratione indignos red-
dit. *Strach. de decoct. part. 2. n. 2.*

XV.

Hi sunt, qui de facultatibus suis amplius, quam
in his est, sperantes, §. 3. *Inst. quib. ex caus. manum. non lic.*
ampliores, quā quibus sufficientes sunt, negotiationes
suscipiunt; vel qui in regionibus aliis, & longè distitis
negotia exercent, eaq; nullo habito discrimine quibus-
vis institoribus committunt; *l. 10. ff. qui & à quib. manum.*
item ii, qui ultra facultatum suarum vires, æs alienum
contrahunt, quanquam negotiando se lucraturos spe-
rent; quibus nec immeritò annumerabis eos, qui præ-
ter deliberationem ullam, & quidem supra facultates
suas fidem pro aliis interponunt. *Mejer. in Colleg. Ar-*
gentorat. lib. 42. tit. 1. thes. 102.

XVI.

Est & aliud fraudatorum genus, qui maximis pecu-
niarum summis ab aliis mutuo receptis, eas alio trans-
ferri curant, vel ipsi consulto & de industria cum iis-
dem aufugiunt, & se docoxisse fingunt, ut tandem cre-
ditores molestius defatigatos, & litibus atq; expensis
vexatos, ad pactiones, & iniquissimas condiciones tra-
hant, qui cum sint solvendo, inter decoctores non nu-
merandi, sed potius Prædones publici, existiman-
di sunt,

di sunt. *Stracch de decoct. p. 2 n. 3. Sesse decis. 102. n. 2. Spei-*
del. in Not. ad Thef. Pract. Besold. in vocab. Banderou.

XVII.

Pleriq; hi debitores, cum primis verò ii, qui omnia
sibi in jure beneficia negata norunt, rebus & suis, & cre-
ditorum absuntis, vel latitant circa columnas, ut loqui-
tur *l. eum qui. 30. ff. de reb. auth. jud. possid.* vel ubi spatium
est, fugam parant. Qui, An privata creditoris autori-
tate detineri possint? quæritur. Quod tunc affirmatur,
cum Judicis copia haberi nequit. *l. ait prator. 10. § si debi-*
torem. 16. ff. qua in fraud. credit. l. generali. 154. C. de Decur.
lib. 10. quos tamen ultra certum tempus, viginti sc. ho-
rarum, detinere non licet, sed Judicis custodia tradere
oportet. *Bald. in Auth. imò in princip. C. de Obl. & Act. arg.*
l. capite quinto. 25. ff. ad L. Jul. de adult. n. ipse creditor car-
ceris poenam subire, & debitum suum amittere velit.
per l. un. C. de privat. carcerib. Matth. Coler. de process. execut.
part. 1. cap. 2. n. 97. & seqq. cap. 3 n. 123. Quod tamen jus
prehensionis & insequendi, scienter cum inope con-
trahentibus, denegatur. *Klock. consil. 70. n. 36. tom. 2.*

XVIII.

Quis verò, antiqua loquendi formula, pedem stru-
ere dicatur, & pro debitore fugitivo habendus sit, ad
hoc requiritur probatio creditoris: Cui tamen fugæ
suspicionem alleganti, non simpliciter creditur, sed e-
am claris & evidentibus indiciis probare tenetur. Quæ
si deficient, juramentum creditoris sufficere, ad hoc
ut non tantum res, sed & persona debitoris, detineri &
sequestrari queat, tradit *Paul. de Castr. consil. 474.*

XIX.

Solent autem plerumq; debitores fugituri bonorū

ve

vel etiam pecuniarum, quantam possunt, partem cō-
vasare, & si modò copia est, secum auferre; Cujusmo-
di debitorem cum asportatione rerum fugientem, si
creditor eum capturus insequatur, is verò armata ma-
nu resistat, & ex invasore bonorum, etiam violentus
corporis atq. vitæ invasor existat, impunè vulnerat, &
occidit. *Bald. in l. si ut allegas. n. 1. C. ad L. Corn. de sicar.*
Gail. lib. 2. obs. 44. n. 3. l. 4. l. 45. §. 4. ff. ad L. Aquil. l. 1. §. 27.
ff. de vi & vi armat. l. 3. §. 9. ff. eod. l. 9. ff. ad L. Corn. de sicar.
Cæteroquin rerum defendendarum vel recuperan-
darum causâ, simpliciter & directò neminem occidi
debere, verius est. *Excell. Dn. Ludwell, f. C. us famigeratis*
simus ad l. 3. ff. de just. & jur.

X X.

Debitorem vel fugere faciens, vel fugientem oc-
cultans, vel captum è manibus familiæ eximens, tene-
tur creditori ad totale interesse: Et eximenti quidem,
tanquam si pro capto fidejussisset, excussionis benefi-
cium denegatur. *Argentorat. vol. 1. cons. 20. n. 29. & seqq.*

X X I.

Verùm si debitores hi obærat, & solutioni non suf-
ficientes, videant creditoribus vigilantibus, rem hac
non procedere, aliâ aggrediuntur viâ, & vel bonis
cedere, ad evitanda majora mala, parati sunt. Quod
tamen beneficium, utpote miserorum subsidium, non
præsidium dolosorum, malitiosis decoctoribus mini-
mè concedendum est, sed iis tantùm, quos immeritò
adversa fortuna calamitasq; confecit. *Matth. Brun. de*
cess. bon. quest. 4. princ. q. 5. n. 3. l. 2. §. 3. ff. ad SC. Vellei. l.
auxilium. 37.

*auxilium. 37. ff. de min. Cum & alioquin cessante causa,
ipsum cesset privilegium. l. Tutia. 87. §. 1. de legat. 2.*

XXII.

Vel Rescripta Moratoria, quæ & literæ indu-
ciales, quinquennales, literæ gratiæ, salvi conductus,
literæ respirationis, securitatis, communiter etiam
Quinquennel/ *Esserne* oder *Anstandsbrieff* vocari solent,
ab his, quibus concedere ea licet, impetrare conantur.
Quinam verò illi sint, larga manu tractat *Wilhelm Anton.*
de Freundeberg in tr. suo de Rescr. Morat. tit. 6. concl. 12. & seqq.

XXIII.

Hic saltem quærere libet: An Princeps hæc Mora-
toria malitiosis etiam & fraudulentis decoctoribus re-
ctè concedere possit, & utrum concessa iisdem profint?
Quod negandum omninò videtur ex *Constitutione Caro-*
li V. Aug. Vindel. Anno 1548. Art. 22. quâ, Rescripta Mo-
ratoria, suppressâ veritate, & omissâ necessariâ de ca-
sibus fortuitis inquisitione, concessa, irrita pronunci-
antur. *Petr. Gregor. Tholos. Syntagm. jur. univ. lib. 22. c. 7.*
n. 6. nisi creditores vel expressè vel tacitè consentiant.
Wilhelm. Anton. tit. 7. conclus. 23. Princeps enim subditis
invitis jus quæsitum auferre nequit, nisi fortè ex cau-
sa publicæ utilitatis & necessitatis, *l. 2. §. meritò. 10. & §.*
si quis à Principe. 16. ff. ne quid in loc. publ. l. 4. C. de emancip.
lib. Nec Principis aut Superiorum beneficia, cuiquam
debent esse captiosa. *l. Paulus notat. 8. ff. de prator. stipul.*

XXIV.

De tertio Bancæruptorum genere, qui partim suo,
partim fortunæ vitio decoxerunt, magis aliqui dubi-
tant:

tant: An & ipsis concedi rectè possint? Ubi distinctè respondendum, & res tota concedentis discretioni committenda, qui, prout vel fortunæ vitium, vel propriam decoctoris culpam exsuperare compererit, inducias has vel largietur vel negabit. *Mejer. in Colleg. Argentorat lib. 42. tit. 1. thes. 102. Arum. Disc. Academ. de jur. publ. vol. 3. Disc. 4. conclus. 6.*

X X V.

Elapso spatiò in Moratoriis concessò, (quod ultra quinquennium non facilè extenditur,) debitores beneficio cessionis bonorum non gaudent. *arg. l. fin. C. qui bon. ced. poss. ibiq. gl. Schneidew. ad §. ult. J. de Act. n. 5. ibiq. Mynsing.*

X X V I.

Vel de Induciis, si ve spontaneâ moratoriâ concessione, cum creditoribus suis agunt: Quas à majori creditorum parte, non consentientibus reliquis, concedi posse, ita ut à reliquis creditoribus, qui non consenserunt, durante dilatione, molestari nequeant, verius est. *per leg. fin. C. qui bon. ced. poss. l. majorem. 8. ff. de pact.* Nisi fortè quis creditorum, pinguius, juramento videl sibi caveri curaverit, qui tunc, ut cæteris adstipuletur, cogi non potest. *Valent. Franc. de fidejuss. c. 3. n. 174. Faust. pro Erar. class. 16. cons. 184. ord. 1269.*

X X V I I.

Factâ sic prorogatione diei decoctori à creditoribus, insciis fidejussoribus, hi tamen nihilominus tenentur

B 2

cur

tur, nisi ad certum tantum tempus se obligaverint. *l. si fidejussor. 27. C. de fidejuss. Moler. lib. 1. semestr. c. 17.*

XXVII.

Vel accordant, ut loquuntur, & certam debitorum partem à creditoribus suis remitti sibi petunt: Quod tamen remissa, à reversis ad pinguiorem fortunam iis, qui dolo & culpa decoxerunt, conditione ob turpem causam, non verò, à fortunæ vitio solutis, repeti potest. *Secundibera d. tr. concl. 36. n. 220. Stracch. de decoct. p. 4. n. 9. Faust. pro Arar. conf. 183. ord. 1268.* Quamvis etiam in fraudatoribus usu receptum non esse, sed potius non paucos, locupletiores postea factos, lautiusq; quam unquam antea viventes, cum tamen ne vel teruncium de eo, quod semel ipsis remissum fuerat, solverint, vel etiam conventi à creditoribus unquam fuerint, scire & vidisse se testetur. *Moller. semestr. lib. 4. c. 7. n. 7.*

XXIX.

Quibus pactis sive conventionibus, cum creditoribus suis initis, si nō steterint decoctores, ad ea observanda creditores cogi nullo modo possunt, etiam si juramentum intercesserit. *Stracch. d. tr. p. 6. n. 28.*

XXX.

Quod si enumerata omnia beneficia malitiosorum Bancæruptoribus denegata sunt & præcisa, datur creditoribus, rem judicatam, vel confessionem partis, vel instrumenta guarentigiata, vel alia liquida & recognita

*Quod totum libri fidem non merentur & sicut de iis
ad ap. K. 2. 20. 2. 50.*

nita habentibus, jus paratæ Executionis. *Berlich.*
part. 1. concl. 80. n. 2.

X X X I.

Quæ Executio est vel Realis: per quam omnia decoctoris bona creditoribus suis addicuntur, eo ordine, ut primò capiantur res mobiles, sive se moventes, deinde immobilia, & deniq; his non extantibus, vel ad solutionem non sufficientibus, jura, nomina & actiones, *Berlich. part. 1. concl. 81. n. 45. & seqq.*

X X X I I.

Ubi, qui creditores, quibus in bonis, aliis præferendi sint, non ita expeditum semper est; Hoc tamen certum, venditorem in re vendita, aliis obæratæ debitoris creditoribus non præferri, nisi expressè in re vendita hypothecam sibi reservaverit, donec integrum pretium solutum sit. *Berlich. part. 1. concl. 64. n. 28. & seqq.*
Nedelstrâ decis. forens. 4.

X X X I I I.

Mulier, quamvis ratione dotis, multis aliis creditoribus præferatur; Lascivæ tamen & pomposæ, vel ob cujus malam rei familiaris administrationem, maritum ad inopiam pervenisse, & foro cedere coactum, fuisse probari potest, creditores etiam posteriores rectè præferuntur. *Berlich. part. 1. concl. 65. n. 80.*

X X X I V.

Vel Personalis, quâ decoctores, quorum dolus,
malitia

malitia, & negligentia decoctioni causam dedit, hodiè
rectè carcerantur. *Benedict. Carpzov. in asyl. general. de-
bit. posit. 31. n. 1. & seqq.*

X X X V.

Ad quam tamen carcerationem priusquam deve-
niatur, excutienda sunt omnia omninò tam debitoris
principalis, quàm fidejussoris bona, etiam quæ alieno
in loco sita sunt *Coler de process. execut. part. 1. c. 6. n. 132.
& seqq. Dan. Moller. lib. 1. semestr. c. 36. Carpzov. part. 2.
Jurispr. Rom. Saxon. quest. 22. defin. 4. & 7.*

X X X V I.

Et quamvis fraus & dolus, contra Bancruptores
præsumatur, omnisq; in eos fraudis suspicio crescat,
ea tamen, propter Statutorum, poenam capitalem di-
stantium, rigorem, per creditores probanda est *Sesse
decis. 102. n. 10.*

X X X V I I.

In qua probatione Libri Mercatorum contra scri-
bentem faciunt; qui alioquin multis in casibus, plenam
probationem pro scribente inducunt, *Berlich. part. 1.
concl. 36. n. 39. & seqq.*

X X X V I I I.

Variis, ex vario Jure, Bancruptorum poenis,
modis eosdem convertendi, & vel sexcentis aliis, con-
sultò prætermisissis, hæc, si non pro Materiæ
dignitate & ubertate, pro ingenii sal-
tem tenuitate, & instituti rati-
one, hac vice sufficient.

DEO TER OPT. MAX. SIT LAUS
HONOR ET GLORIA IN
SEMPITERNUM.

VIRO

Clarissimo atq̄, Eruditissimo

DN. WILHELMO FINCKLER
J.U.CANDIDATO, Amico & Con-
victori suo suavissimo.

F*elix! in Studiis quem labor improbus
Non frangit; Studium qui bene voluerit*

FURIS *contiguum, non sine honoribus*

Discedet: nec enim Suada potens suos

Cultores didicit spernere, nec Themis

Natis justa suis præmia denegat.

Sicut Dux Equites, qui neq̄ plumbeum

Imbrem, nec metuunt tela, nec ensium

Strictorum segetem, tollit honoribus:

Sic Astræa suos evehit optima,

Cælo Astræa beat! flore q̄ nobili

Exornat meritos, quem neq̄ frigore

Ripheus Boreas, nec rabies Noti,

Aut æstupoterit Sirius urere.

Hoc FINCKLERE doces, nam meritò tibi


Dulcis vanit honos Arte Laboreq̄,

Et

Et Virtute tuâ scandis ad aethera.
Quales melliferae florea sepius
Postquam rura legunt, & variis apes
Insidunt violis insatiabiles,
Tandem castra replent nectare cerea:
Sic FINCKLERE, decus nostrae Academiae,
Atque unâ Themidos, scripta perennia
Postquam Romulidum sedulus imbibis,
Et FURIS latices, magna volumina
Prudentum, ingenio discutis impiger;
Tandem undare facis mentis acumine
Doctrinae variâ mentem opulentiâ.
Hinc & Furisonus Cœtus in inclytò
Parnassò hœc, capiti præparat inclytus
Injunxisse tuo splendida præmia.
Addo vota lubens: profit honos Patri,
Et magnæ Patriæ profit honos Tibi!

labante calamo

Ernestus Cregel. Ultzâ
Lünæburgicus.





Altdorf, Diss., 1637-55


ULB Halle
004 327 330

3



Sb.

1017





12066.

QUOD FELIX FAUSTUMQUE ESSE JUBEAT
DEUS TER OPT. MAX.

23.
24

1654

20

Ex Decreto & Autoritate,
Magnifici, Nobilissimi, & Amplissimi Facultatum
Ordinis, in celeberrima Inclytæ
Reip. Norimbergensis Univer-
sitate Altdorfina,

POSITIONES INAUGURALES

De
**BANCCÆRUPTO-
RIBUS**

PRO LICENTIA

Summos in utroq; Jure honores, immunita-
tes, & privilegia DOCTORALIA, ritè &
solenniter consequendi

publica & solenni Disquisitioni
submitto;

WILHELMUS FINCKLER,
NORIMBERGENSIS.

Mense Januario. A. 1654.

ALTDORFI

Typis exscribebat GEORG Hagen/ Typogra-
phus Universitatis.